C. D. 3.

PRVDENTIA APODEMICA,

Die Klugheit wohl zu reisen.

INCLVTI

ORDINIS PHILOSOPHICI

CONSENSU

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PVBLICÆ DISQVITIONI

EXPOSITA

PRÆSIDE

M. THEODORO BERGER,

LAVTERA-FRANCO,

ET

RESPONDENTE

ELIA IACOBO ROESLER,

STRELENSI-MISNICO,

PHIL. CVLT.

AD D. XXI. DECEMBR. M DCC XII.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

LITERIS JOANNIS GOTTLIEBII BAVCHII.



INTROITUS.

§. I.

Ermulti fuerunt & Veterum & Recentiorum, quibus peregrinationes absque usu suscipi perversum est, ut *Seneca* in literis suis ad *Lucilium* datis: *a) ex his quæ mihi scribis*, inquit, *ex his quæ audio, bonam spem de Te concipio. Non discurris, nec locorum mutationibus inquietaris. Ægri animi ista jactatio est.* Alio loco *b)* multo acerbius de iisdem differit, recensendo varia incommoda atque damna, nec tamen omnem illis utilitatem abjudicando. Eadem mente *Lycurgus* non tantum Cives suos vagari prohibuit, verum etiam advenas in urbem irrepentes abegit, hos ne alicujus noxæ Doctores forent, illos ne diversos mores inveherent, ut *Plato* præter quinquagenarium depontanum inter alienigenas versari neminem passus est. Multi ex recentioribus Germanis non multum ab horum Veterum placitis abire videntur, de Germanorum suorum profectionibus sine omni usu susceptis querentes: *Lansius c)* ille Germaniæ Vindex, non sine ratione animadvertit in Germanorum improvidam proficiscendi cupiditatem: *O, hac in re*

Et Veterum & Recentiorum multi peregrinationes absque usu suscip putarunt.

a) Epist. II. p. m. 524. b) Epist. 104 p. m. 820. & ep. 28. p. 575. c) In Consultat. de Principat. inter Prov. Europ. p. 7. 8. 14. & 15. inprimis p. 16. edit. Tubing.

parum ſapientes Germanos illos! O nimis improvidos Patres illos! qui nullo cum fructu imo damno inæſtimabili filios ſuos, carnem & ſanguinem ſuum, in Italiam in Galliam, in Hiſpaniam, velut proprie magis & latinius loquar, in Veneris & Floræ ergaſterium, in nequitiæ & flagitiorum amphitheatrum, in metallum omnium ſcelerum, non mittunt, ſed relegant, ſed deportant, ſed damnant. Ejusdem quoque fuit ſententiæ illuſtris *Puſendorffius*, d) qui ſub nomine Severini de Monzambano in de Statu Imperii Germanici libro non niſi malos mores morbosque ex Italia Galliaque Germanos afferre arbitratur. **

§. II.

Rationes cur multi de peregrinationibus ſiniſtre judicarunt.

Atque hi ipſi & ſimiles Autores ita quidem locuti ſunt, ut fere omnes bonos mores, omneque tempus in univerſum perdi videatur, ita manifeſto apparet, quod illos tantum reduces ex itineribus, qui pro virtutibus vitia aſſumſerunt, ſibi ante oculos poſuerint. Accedit peregrinationum veros oſores nunquam vel raro admodum deguſtaſſe earum fructum, utilitatemque ſenſiſſe, & hoc modo ex propria ignorantia rem ipſam rejeciſſe, cum tamen nulla res utiliſſima etiam deprehendatur abuſui non ſubjecta, quem æque cum ipſis quam maxime deteſtamur.

§. III.

Itinerum abuſus & inde non ſecutura utilitas demonſtratur.

Etenim notiſſimæ ſunt hujus abuſus cauſæ, ſi remotæ terræ peregrinatione ita adeuntur, ut cœlum non vero animus mutetur, & ſecum modo peregrinentur, ut *Socrates* querenti nihil ſibi peregrinationes profuiſſe reſpondit. Qui legitimum non norunt peregrinationis ſuæ finem, ſed tantum nequitiæ loca opportuna quærunt, nec præparatum afferunt ad eas animum, non poſſunt non omni fructu fraudari. Alii a peregrinis modo ſpectari eoque facto hominum famam aucupari allaborant, ut ambitioſorum

d) edit. Conſult. Titii 1708. p. 389. Idem l. c. p. 4. in Præfat. ** Plura teſtimonia peregrinationes prohibentia offenduntur in ſchediasmate Germania milite deſtituta p. m. 55. ſeqq.

rum proprium hoc eſt, alii lucrum ſæpe non honeſtum ſectantur, quod avaris volupe, alii venerem ſequuntur, funeſtiſſimum itinerum Comitem, alii gulæ ſtudent, ut voluptuoſis utraque ex parte ſolenne eſt. Neque ii prorſus excuſandi videntur, qui ob meram curioſitatem peregrinari conſtituunt, nec illi qui in ſuo genere vivendi nondum ſolida didicere fundamenta, aut vitiis adhuc ſuccumbunt vulgaribus, cum tamen omnis ſcientia ac peritia, in profectionibus cum diſpendio virtutis acquiſita, haud veræ utilitatis inſigniri nomine mereatur. Sic Brachmanes Indorum ſapientes neminem ex diſciplina ſua ad viſendos exteros dimiſerunt, niſi qui triginta & ſeptem annos natus eſſet, teſte *Strabone*. * Druidæ nobiliſſimos gentis Gallicæ vicenis annis in ſpecu aut abditis ſaltibus educarunt, ac deinde jure ſuo frui permiſerunt, ut habet *Pompon. Mela*.** Omnis etiam promiſcua peregrinatio haud profutura exiſtimari poteſt Reipublicæ, quando indiſtincte permittitur hominibus minus idoneis & moderatis, maxime tenerioribus juvenum, neceſſe enim eſt, damna ut ſint futura certiſſima, utpote jactura pecuniæ inutiliter decoctæ & patriæ quaſi detractæ ac vitiorum vanitatumqve externarum aſſumtio promiſcua. Quod probe perſpectum quondam fuit Guſtapho Adolpho Svedorum Regi, ut interdictum publicarit de promiſcua peregrinatione intermittenda. *e*)

§. IV.

Aſt longe major uſus his cunctis opponi poteſt: nonne enim maximam partem peregrinatione mores ornantur, ſtudia literarum excoluntur, humanitas adaugetur, atque ut brevibus exprimam, ſtudia ne quidem ſine loci patrii mutatione ſæpe tractari queunt? nonne hac ratione exterorum populorum mores, vitia, literarum ſtudia, artificia, regimina & omnem ſtatum publicum atque privatum intueri & cognoſcere datur? Nonne præconceptis opinionibus de hac vel illa Gente, ſecta & ſimilibus vaPeregrinationes tamen prudenter ſuſceptæ utiles ſunt.

ledicere

* Lib. XV. Geogr. f. m. 487. ** Lib. III. de ſitu Orbis Cap. II. e) Conf. Loccenius Hiſt. Rer. Svec. Lib. VIII. p. 535.

ledicere peregrinantes dicunt? Non pauca dantur in civili societate, quæ nisi accedat ocularis apud exteros inspectio & experientia, haud recte cognosci & tractari possunt, ut illustris Thomasius occasionem, si se offerat peregrinandi, non evitandam esse censuerit. *f*) Atque ex mente Divi Augustini, cum omnis terrarum Orbis sit liber, nemo eidem diligentius vacare potest, nisi peregrinans observator. Vix ullum studiorum artificiorumque genus commemorari poterit, quod non augmenta capiat ex profectionibus ad populos moratiores celebrioresque directis. Hac mente modernus *Moscovitarum Autocrator* propriis suis eductus profectionibus regni sui stimuluit juventutem peregrinas adire terras ibique bonas percontari artes ac scientias, easque secum afferre in Patriam. Romanorum filii in Græciam ad mercaturam bonarum artium mittebantur, ipsi senes Romani condituri Rempublicam, moribus ac scientiis adhuc rudes, in Græciam, ut Leges duodecim Tabularum exin accerserent, miserunt. Græci e contrario Aegyptum & Phœniciam petierunt, animos suos ut excolerent; ita ut vetustissimi eorum Philosophi peregrinando sapientiam inferrent patriæ, de quo sufficiat appellasse *M. Joh. Casp. Læscheri Diss. de Peregrinationibus Litterariis, earumque antiquitate & usu.* Cur itaque Germanis nostris, quiex omnibus nationibus soli peregrinationis desiderio optime audiunt, * vitio vertatur, si exemplo aliarum Gentium, quicquid boni aliunde deprehendunt, ut aquæ venas metallicas pervadentes, assumunt, & philavtiam nationum, qua non raro sibi tantum cum Chinensibus duos oculos tribuunt, exuunt. Sane illæ Gentes, inter quas nullæ peregrinationes ad exteros susceptæ sunt, multarum bonarum rerum ignaras & duras plerumque moribus deprehensas esse constat, uti de Veteribus Germanis, Lacedæmoniis, multisque aliis legere est. Sunt & qui ad sanitatem firmandam & morbos avertendos ipsam aeris mutationem inque alia loca migrationem

f) In Prudent. Conf. C. IV. §. 46. * Vid. Strobelbergeri Galliæ Polit. Medic. Descript. p. 102.

tionem facere opinantur, qua de re legi potest Diss. sub Præsid. Excell. Hoffmanni habita. *g)*

§. V.

Ut autem finis peregrinationum, sperata scilicet utilitas, obtineatur, mediis rite applicandis vel prudentia quadam opus est, totius negotii directrice. Hæc cum in genere ex sententia Illustr. Thomasii *h)* transitus sit a malo ad bonum; atque ut Celeb. Conringius in aureo de Civili Prud. libello pronuntiat, peritia eorum, quæ homini obsunt & conducunt, liquet omnino peregrinandi prudentiam commode dici posse *peritiam, quæ media peregrinationem ad eum cujuscunq; scopum, quem intendit, salva fortuna & sanitatis incolumitate dirigere docet.* Nec nobiscum pugnat laudatus Conringius *i)* peregrinandi prudentiam describens, quod sit peritia cultiores populos invisendi civilis prudentiæ comparandæ gratia, unde Reipublicæ patriæ vel alienæ, adeoque nobismet ipsis emolumento esse possimus, cum tantum ad usum ejus in Politicis Studiis attenderit, nos autem hanc non ita arctis circumscripturi terminis ad cujuscunque prudentiæ augmentum secundum omnes Reipublicæ Litterariæ partes atque facultates eam extensam supponamus, non habita ratione an ea locorum exterorum visitatio sit brevis aut longinqua, terrestris aut maritima, voluntaria aut necessaria.

Peregrinationes prudentia sunt suscipiendæ.

§. VI.

Atqui hæc prudentia commode prudentia apodemica dici potest, uti a nonnullis forsan paululum obscurius ars apodemica adpellata fuit, ut a Clar. Joh. Christoph. Wagenseilio *k)* ab ipso supra

Hæc prudentia peregrinandi a nonnullis ars apodemica dicitur.

g) Inaugural. Physico Med. de Peregrinationibus sanitatis causa instituendis Hal. Magdeb. 1710. a M. G. Th. Barthold, quæ nunc in Excell. Hoffmanni Dissertationibus Physico-Medicis in P. II. prima deprehenditur. h) l. c. §. XV. p. 5. i) in Diss. de prudentia peregrinandi §. IX. k) In Tr. von Belehrung eines Printzens der von allen Studieren einen Abscheu hat, p. 208. & 292.

ſupra laudatiſſimo Conringio *l)* & aliis *m.*) Eandem tribus abſolvere capitibus conſtituimus, cum omnia huc ſpectantia vel præparationem vel peregrinationem ipſam vel ejus applicationem & uſum tangunt. Unde noſſe 1) media præparationis ad peregrinationes rite inſtituendas. 2) media exercitii ipſius peregrinandi 3) media adplicandi peregrinationem, eſt totam exhaurire prudentiæ hujus abyſſum.

§. VII.

Scriptores de prudentia peregrinantium.

Multi quidem hanc exhaurire laborarunt, ut *Conringius*, quem ſupra jam ſummo venerationis cultu appellavimus, *Bæclerus* in Diſſ. *de Peregrinatione Germanici Cæſaris*, *Zwingerus de Methodo Apodemica*, *Georg. Hornius in Ulyſſe peregrinante*, *Mart. Zeilerus in Fido Achate* ſ. den getreuen Reiſe-Gefärten, ubi præmittitur ein **kurtzes Bedencken** wie etwan die Reiſen insgemein wohl und nützlich anzuſtellen ſeyn mögen, *Georg. Loyſius in Pervigilio Mercurii*, in quo agitur de præſtantiſſimis peregrinantis virtutibus, qui ſane libellus & perſpicuitate & brevitate ſua non inconcinna præ cæteris ſe commendat, *Schowartus in Theſauro peregrinantium*, *Caprara in Chironte peregrinante*, **die rechte Reiſe-Kunſt**, oder Anweiſung, wie eine Reiſe mit Nutzen in die Frembde, abſonderlich in Franckreich, anzuſtellen, *Europäiſche Reiſen*, quæ Hamburgi prodiere, non pauca huc pertinentia in Præfamine de neceſſitate utilitateque peregrinationum continent, aliique. Hujus etiam generis plures extant Scriptores ad ſingulares regiones regulas ſuas dirigentes, ut *Thomas Erpenius de peregrinatione Gallica utiliter* inſtituenda. *Abr. Gœlnizii Ulyſſes Belgico-Gallicus*, *Viatorium Germanie*, *Gallie & Italie*, *Nouveau Voyage d'Italie avec un memoire contenant des avis utiles a ceux qui voudront faire le meme voyage*, quorum numerum inſignem recenſuit πολυμαθέςατ@· *Gryphius* in Apparatu de Scriptoribus hiſtoriam ſeculi

l) l. c. §. IV. m) ita conſtat Zwingeri Methodus apodemica. Et in Diſſ. Inaugural. de Jure peregrantium ſub Præſid. D. Engelbrechts C. I. §. 3. p. 6.

culi XVII. illustrantibus, in singulorum capitum Paragraphis IIdis. Sed plurimi horum Scriptorum, si cum nostro scopo comparantur, pauca præter observationes Geographicas continent, aliaque nonnulla memoria digna, inprimis cursum, quomodo tenendus sit, additis ut plurimum locorum distantiis. Paulo propius instituto nostro accedunt *Joh. Fabritius* in Orat. *de utilitate, quam Theologiæ Studiosus ex itinere capere potest Italico.* Quemadmodum Benthemius in Præfatione des Engelländischen Kirchen- und Schulen-Staats maxime ad Theologiæ Cultorem respexit. Excell. *Georg. Paul. Honni Iter Juridicum per Belgium, Angliam, Galliam & Italiam. Thom. Bartholinus de Medica peregrinatione. Joh. Stephan. Strobelbergeri* Galliæ Politicæ Medicæ descriptio, & nonnulli alii.

§. VIII.

Tribus capitibus præcepta & cautelæ juxta Vitæ genera quinque potiora variantes subnectuntur.

Enim vero nos, cum præsens hominum status in varia eaq; permulta dispesci possit vivendi genera potiora in præsenti dissertatione sumus persecuturi, inprimis ad scopum nostrum pertinentia, (non enim in viribus nostris positum est per omnia vitæ genera vagari) sed tantum eminentiora quasi in Republica maxime Litteraria, quæ quinque commode dici possunt, Philosophicum, Medicum, Juridicum, Theologicum, Politicum illustrabimus. Apparet exin generalia quidem cujuscunque vivendi generis peregrinanti necessaria occurrere debere, quæ applicatio ad quinque has recensitas vivendi species excipit, ita ut nihil in specie de omnibus reliquis quibuscunque dicatur. Nec enim instruimus Principem peregrinantem, nec Legatum, nec mercatorem, nec artificem aut opificem, nec recreationis gratia aut metu belli morbique contagiosi in loca aliena se conferentem, aut quos exilii pœna apud exteros detinet. Neque quicquam de peregrinationibus Papistarum votivis, multominus de peregrinantibus mulieribus afferemus. Tria potius dissertationis capita ita explicabimus, ut ubique regulis generalibus præmissis adplicatio ad quinque vivendi genera sequatur. Faxit Deus feliciter.

CAP. I.

De Mediis præparationis ad peregrinationem.

§. I.

De mediis præparationis, quæ proponuntur & dividuntur.

OMnino operæ pretium esse putamus peregrinaturum noſtrum, antequam ipſam ingrediatur peregrinationem, ne ex nido velut inplumis intempeſtive evolet, idoneis aliquot inſtruere mediis ad ipſum iter felicius ingrediendum collimantibus. Peregrinans absque idonea præparatione non poteſt non vacuus redire, ut difficillime depelluntur morbi corpore ipſo non ante ad medicamentorum uſum præparato. Animus vero nobis haud quaquam eſt ea communiſſima hic afferre media, quæ pluribus commemorare nonnulli *n)* citra neceſſitatem voluerunt, qualia ſunt pecunia, veſtes, robur, ſanitas aliaque ejus generis commenta. Hiſce enim qui cariturus eſt ſumme neceſſariis, ne cogitare quidem poteſt de ſuſcipiendis profectionibus, tantum abeſt, ut earum felicem ſperare poſſit ſucceſſum. Et ut ordini inſiſtamus, placet præparatorias diſtinguere regulas noſtras in generales & ſpeciales quibusdam tantum vitæ generibus competentes. Generales iterum vel intellectum maxime vel voluntatem erudient.

§. II.

Regularum generalium intellectum concernentium 1) noſſe peregrinationis ſuæ ſcopum.

Quod ergo intellectum concernit ſumme neceſſarium eſſe duco, noſſe verum ſcopum, cujus gratia petiturus eſt longinquiora habitantium loca. Sic enim ex ipſis his quinque eminentioribus

n) v. Celeberr. Kemmerich in Academia Scientiarum L. III. C. II. p. 529. §35. & Zwingerus in Method. Apod. paſſim.

tioribus vivendi generibus unus altero diverſiſſimam ſibi præfixam metam habet, ut Theologus modo hiſtoriam Eccleſiaſticam, modo controverſias, modo linguas Orientales; Politicus modo artes Camerales, modo legationum negotia, modo belli artes; Jureconſultus vel Proceſſuum diverſitates, vel jurium exoticorum comparationem vel Secretariorum negotia. Medicus demum ac Philoſophus nunc Chymiam nunc Botanicam nunc Matheſin, nunc Hiſtoriam naturalem, nunc Phyſicam experimentalem, nunc hiſtoriam & rem monetariam ſpeciali ratione excolere peregrinando intendit. Quid quod nonnulli itineribus fortunæ ſtabiliorem ſedem interdum quærant, cum alii regulari quidem modo confecto itinere patriæ demum inſervire acquiſitis ſcientiis laborent, licet omnibus forſan unus ſimul ſcopus ſit, mores & vivendi rationem reddere cultiores. Hunc tuum ſpecialem examinare ſcopum ſi negligas, exemplum forſan novum præbebis eorum, quorum copiam affert *Wagenſeilius* (o) & multis forſan eadem reſponſio quondam a ſummo Pontifice Romano *Alexandro VII.* Comiti juveni Auſtriaco haud prudenter peregrinanti data, in memoriam eſſet revocanda: *Non ſufficit exterorum locorum externam ſpeciem intueri, ſed inprimis eorum inſtituta mores, attendere.*

§. III.

Præterea noſtri peregrinaturi officium eſt, ut in illa arte ac ſcientia, qua ſuum inprimis conſtituit vitæ genus futurum, poſſideat jam jam ſufficientes profectus defectuumque cognitionem, quos utique ſupplere peregrinando dabit operam. Ita indefeſſus L. L. cultor non tantum gnarus ſit conſvetorum in Academiis Jurium, ſed defectus etiam eorundem obſervatos ſciat, ſive in modo procedendi & exequendi, ſive in legum aut pœnarum ineptitudine deprehendantur. Duratio litium ſæpe immodica, quam in judiciis ſeptentrionalibus inprimis Svedorum ſpatio temporis

2) Poſſidere in ſuo vitæ genere ſufficientes profectus, & defectuum notitiam.

o) l. c. p. 225. & 229.

breviſſimo conficere poſſunt, (*) pœnarum juxta genium populorum varietates, legumque juxta diverſas regiminis formas enata diverſitas non ſterilem ſuppeditabunt de defectibus cogitandi occaſionem.

§. IV.

3) Notitiam regiminis patrii habere.

Nec tantum in ſuo vitæ genere, ſed etiam in regimine patriæ notitiam habeat regiminis Politici & Eccleſiaſtici, quibus Conſtitutionibus, quo imperandi genere illud exerceatur, qui Viri in utroque ſunt maxime inſignes. Iis enim non probe cognitis & in regimine & in aliis exterorum inſtitutis atque arcanis, multa admiratione digna cenſebit, quæ forte eadem Reipublicæ utilitate fuerunt exculta in patria. Accedit quod admodum ſit ſolenne exteris idque præcipue Anglis præſentem patriæ ſtatum cognoſcere ex ſermonibus non inconcinnis peregre venientium. Quare etiam ſuis ex Anglia abeuntibus in peregrinas terras diligenter commendant hiſtoricam patriæ ſuæ notitiam haud ſuperficiariam, ut videre eſt de Patritio Burleighio apud Benthemium. *p*)

§. V.

4) Confirmatum eſſe ſua in vera religione.

Cæterum ante omnia bene confirmatus ſit ſua in vera religione, hac enim neglecta, eaque nullius vel parvi momenti habita, non poteſt non perfacile aut lenociniis peregrinorum adverſariorum induci ad hunc vel illum Dei cultum amplectendum, aut quod non raro fit Indifferentiſtarum, Naturaliſtarum imo Atheorum induere hypotheſes & vitia. Hæc cultus divini negligentia & oſcitatio perſæpe fecit, ut nocuerint plus quam profuerint peregrinationes, cum proh dolor, religioni imo opprobrio ſibi ducant nobiliori inprimis oriundi proſapia inquirere in veræ religionis fundamenta, putantes ea quæ neceſſaria ſunt futura auditu obtineri poſſe proletario. Ut autem prudens peregrinator æque

*) Conf. Joh. Loccenii Leges civil. aut civitat. Sveciæ regni p. 323. & 328.
p) l. c. in præfat. p. 26.

æque purus mente ac Rhodanus per lacum Genevenſem non alienis adſperſus impuritatibus pergere poſſit, ſvaſores eſſemus, lectis aſſidue ipſis ſacris fontibus diligentiſſime terat Illuſtr. *Puffendorffium de habitu religionis ad vitam civilem.* Ejusdemq; *Jus Feciale divinum*, ac *cap. XII. in P.I.* Der Einleitung zu der Hiſtorie der vornehmſten Reiche und Staaten. *Magnifici atque Summe Reverendi Domini D. Rechenbergii Religionem prudentum. Illuſtris Seckendorffii* Chriſten-Staat *& Alberti Intereſſe religionum Chriſtianarum.*

§. VI.

Mens ut perire poteſt erroribus, ita corpus morbis, quibus vel maxime peregrinans expoſitus eſſe videtur. Opus inde erit ut ipſe ſciat medicamenta corporis communiſſima ac probatiſſima contra morbos frequentiſſime obvios. Ita ne quis in ipſo itinere noxam patiatur a varii generis potu & victu, quem effugere non poteſt, neceſſe eſt ut omni opera ventriculi ac digeſtionis conſervet opus, idque opportune fieri poteſt medicamentis ſtomachalibus ventriculi tonum & calorem reſpicientibus, nec minus amicam quandam tenuitatem ſœnerantibus. Ex horum genere laudantur ſalia volatilia oleoſa temperata, elixiria balſamica, Eſſentiæ amaræ, aromaticæ, aquæ vitæ ſtomachales temperatæ. Cum enim peregrinans frigoris caloris aerisque & ventorum injurias evitare non ſemper queat, opus erit cavere ſibi medicamentis a malis exin orituris. Nec alienum videtur verbo appellaſſe artem coquinariam, quam ex mente Georg. Loyſii (*) peregrinans cum Achille non vereatur exercere & modos ciborum ſimpliciſſimorum præparandorum in patria ſua diſcere, ne cum ab auſtero & imperito caupone male parata dehiſcat, morbum ſibi adſciſcat. Diſcat igitur, pergit, præparare ova, piſces, carnes, oluſcula & alia. Id quod tamen in peregrinationibus longinquis maxime locum invenire poſſe videtur. Conſilia ejusmodi ad medicamenta pertinentia ſuppeditantur in Hollandiſchen Rysboeck,

5) Noſſe communia contra frequentiores corporis imbecillitates medicamenta.

(*) in Pervigilio Mercurii Obſervat. CXLIV.

bœck, in Richteri Hällischen Medicamenten-Buch, in Abelii Leib-Medico, Helwigs Hauß- und Reise-Apotecken, & Sim. Bergers Verzeichniß der besten Artzeneyen wieder alle Kranckheiten.

§. VII.

6) Versatum esse in Geographia.

Pedem vero suum elaturus laribus patriis haut leviter versatus sit in Geographia, & generali & speciali, ut juxta priorem mappas terrestres & maritimas non intelligat tantum & iis uti, sed etiam, si occasio tulerit, ipse delineare queat. Nec incongruum videtur aliqua ex parte artis gnarum esse pictoriæ, hujus enim ope plura notatu visuque digna consignari & memoriæ longe facilius mandari possunt. In Geographia autem in genere consulere sufficit *du May Prudent Voyageur* & *Pet. Mortieri Atlantem portatilem* i. Atlas Voyageur, cum speciliariora inter peregrinandum commemoranda suo loco dicentur.

§. VIII.

7) Callere linguam Latinam Gallicam aliasque.

Jam de linguarum in peregrinis locis occurrentium studio aliquid dicendum, quibus ignoratis nullus unquam peregrinantium voti sui damnabitur exoptati. Post vernaculam enim latinam, multorum occidentalium clavem, ad minimum ita peregrinabundus calleat, ut facultas loquendi ipsi non desit, addatque omnino Gallicam, quæ nostra jam ætate ita per omnem terrarum orbem celebratur Europæum ac quondam Græcorum lingua Imperante Augusto floruit usitatissima. Quin imo Italicæ & Anglicæ fundamentis sit imbutus, aut antequam has provincias adit, in proxima se imbui patiatur, ut in ipsis sedibus postmodum culturam & sermonum consvetudinem superaddere queat. Commendat se ultima maxime præstantissimorum ingeniorum monumentis. Batavam autem aliarumque Gentium linguas facile peregrinando superaddere poterit, prout Anglicæ ideam Benthemius in Englischen Kirchen- und Schulen-Staat dedit C. III. (*) de linguis

(*) huc pertinent Selecta Anglicana à Mart. Hasen edita cum Præfat. de Linguæ Anglicæ usu eamque addiscendi facilitate.

guis autem addiſcendis & tradendis generali tractatione Morhofius *q)* & Joh. Witte egerunt. *r)*

§. IX.

8) Noſſe hiſtoriam univerſalem regnorum ac Rerumpublicarum.

Nec poſtremo loco commemoranda venit prærequiſita cognitio compendioſa omnium in Europa eminentium Regnorum & Rerumpublicarum, juxta hiſtoriæ Compendium breve, quod cujuſcunque regni ac Reipublicæ origines, nexus rerum geſtarum aliaque fata oſtendit, interſperſis fundamentis Politicæ ſpecialis. Hic facit utramque paginam III. Pufendorffii Introductio in Hiſtoriam, & Boſſveti Diſcours ſur l'hiſtoire univerſelle, qui manualis loco aſſidua manu erit terendus. Neque ſegnis ſit Candidatus itineris in hiſtoria litteraria perdiſcenda, & ſi plura non licent, eminentiores in provinciis adeundis eruditos exquirat, ut adire illos poſtmodum, hiſtoriam eorum cognoſcere & ex converſatione æque ac libris peritiam augere ſuam queat.

§. X.

9) Noſſe monetarum reductiones, & litt. Cambiales &c

Juxta regnorum varietates magna ſane datur monetarum varietas, ut neceſſarium quoque ſit paulo ante ſuſcipiendam peregrinationem a mercatore inſtructo cognitas ſibi reddere ſpecies diverſas & reductiones monetarum. Hac ratione impediet, quo minus pecuniarum ſuarum capiat detrimentum, quod alioquin vix effugere poteſt. In hunc finem evolvi merentur Joh. Wilh. Vogelii vollſtändiger Rechenkrecht P. IV. & Paritii Neuerfundene Reductiones der vornehmſten Europæiſchen Müntzen. Et ut cambiis uti queat absque detrimenti periculo breviter eorum doctrina repeti poteſt ex Ritter-Platz *s)* uti plura tradunt Simon van Lewen in Wechſels-Handlung, D. Zipffel von Wechſels-Briefen und deren Uſancen, Jac. du Puy de arte literarum Cambii ſecundum uſum celeberrimorum locorum Europæ.

§. XI.

q) P. II. L. IV. c. 4. de lingv. vulgaribus Europæis. r) in Diſſ III. de Lingvis diſcend. & tractand. s) P. III. c. 9. p. 128. ſeqq.

§. XI.

10) Scire urbes principales postarum, harumque rationem.

Præter hæc notitia urbium principalium, quas cursus postarum tangit, prærequiritur, ut juxta illam iter ipsum queat dirigi, quorsum vel maxime faciunt mappæ Postarum (Post-Land-Charten) qualis extat a Schenckio de Saxonia, mendis vero non satis emendata, & adcuratior Brandenburgensis, s. Regni Borussiæ & Electoris Brandenb. delineatio ad stationes publicorum cursuum & veredariorum. Ut autem postarum aliæ nuncupantur ordinariæ & extraordinariæ, aliæ & inprimis in Germania Imperatoriæ, quas Cæsar, aliæ territoriales, quas Status Imperii in suis territoriis instituant, & ex usu temporis antiquo Reben- und Metzger-Posten; ita cursuum per postas instituendorum non una est ratio, alia enim majores (Hauptreisen) aliæ excursiones (Nebenreisen) dici possunt, nobis quidem videntur, quarum circumstantias nosse oportet, ne insigniora aut utiliora loca per errorem transeundo omittamus. Parum refert nosse duplicem quondam Galliam peragrandi rationem, quæ & in Italia obtinet, alteram longiorem alteram breviorem adpellatam, quarum hæc lingvæ puritatem, illa accuratiorem provinciæ perlustrationem respicit, cum scopus cujuscunqve in hoc negotio optimus sit magister. Id quod etiam de quæstione, quænam exterorum terræ primum adeundæ sint, pronuntiandum erit, quanquam vix hujus sit loci. Qui Galliam svadent politiores ejus, ita opinantur, mores, qui Italiam, ejusdem regnandi & conversandi artem animo intendunt, aliis alius respectus obversatur. Majoris momenti esse videtur, quo anni tempore adiri ac peragrari commodissime quælibet regio possit, ad quod vel pro respectu salubritatis, quam non unam semper eandemqve proficiscentes sentimus, vel pro respectu temporis, quo plura visu observatuqve digna hinc & inde offeruntur, responderi debet. Sic ratione prioris nemini non apertum est, in Anglia rarissimam esse serenitatem & semper fere similem autumno tempestatem cum aëre gravi, cœlo denso, nubibus obsito; ratione autem posterioris

Venetiis

Venetiis tempore Liberaliorum & ipso adscensionis die Dominicæ plurima exhiberi conspicienda. Cum vero migrantium animus sit populorum attendere mores ac instituta, & non aëris varietatem, dubio procul juxta ultimum fundamentum erit pronuntiandum. Hinc est quod censeant, optime consumi posse tempus autumnale hyemale & vernale in Gallia, hyemale & vernale in Anglia, præsertim in Londinensi Civitate cum publici celebrantur Consessus, in Belgio autem per totius anni seriem nullo non tempore observanda offendi. Ex Gallia in Italiam statim Augustam Taurinorum sub ipsam nativitatis Salvatoris memoriam tendendum, qua derelicta spatio perlustrari semestri possint quæcunqve universæ Italiæ celebriores Civitates, ac oppida Neapolim usqve, adeo ut redux adfuturus sit festivitati Venetorum die Adscensionis Dominicæ solenni, spectaturus agitationem Navis & Triremis illius, quæ Bucentaurus adpellatur. Itinerum cursus in universum qui sit tenendus ex patria per eminentiora totius Europæ regna ac Provincias, quatenus ante susceptum iter notum esse debet, non injucunde repeti potest ex laudatiss. Dno. Kemmerichio *t*) quem diversum breviter contraxit ex Comitis de Caprara peregrinante Chironte & Schowarti Thesauro peregrinantium.

§. XII.

Atque his quidem omnibus intellectum instruentibus parum proficeret peregere abiturus, nisi voluntatis emendatio & ad minimum in externis actionibus aliqua æquabilitas morum adderetur. Cum voluntatis ignis excitet intellectum, hominesque non ut intelligunt, sed ut volunt vivere consveverint, ex neglecta affectuum moderatione insignia peregrinanti incommoda tanquam ex equo Trojano prodibunt, quæ libidine, luxuria, ambitione, litigiis contradicendi pertinacia perdere totum possunt. Moderatio & prudens simulationis artificium oppido necessaria sunt iter longinquum inter tot diversas nationes facturo, inter quas præstat ubique

Regulæ generales voluntatem attinentes.

t) l. c. p. 570—576.

que vitium nationi cujuscunque proprium quasi & familiare præ aliis occultare, exterieque, inter quos vivendum, cum svavitate quadam sese accommodare. Quæ Germanis tribuitur bibacitas lucrique in ludendo cupiditas, nec aliis nationibus infamiliaris, abesse vel maxime a Germano debet, affectuum præterea moderamen sæpe experientia, sæpissime damnum metuendum & necessitas suppeditant. Vid. hæc pluribus illustrata in Hollándschen Reis-Böck in waarschouwingen dienstig vor reisende Lieden.

§. XIII.

Regulæ speciales Theologi peregrinaturi.

Quam multæ hactenus recensitæ regulæ generales videantur, non desunt tamen speciales quinqve vitæ generibus supra §. 8. Introitus adductis propriæ. Perneccessarium ergo est, ut Theologiæ S.S. cultor sciat synopsin Controversiarum & religionum recentiorum in regnis, quæ aditurus est, partim ad inquirendam earum historiam, fata, statum præsentem, symbola, partim ad Strophas adversariorum addiscendas eludendasque. Ritus etiam & ceremoniæ Ecclesiarum, maxime Papæarum prænoscendæ sunt, quem in finem consuli potest Clar. Wagenseilius in Analectis de Doctrina & ritibus Romanæ Ecclesiæ, loculamento Vto Peræ juvenilis insertis. Notitia generalis religionum hodie regnantium, sufficiens enim descriptio nobis deesse videtur, peti potest ex Ritter-Platz von Religionen der Welt, cui si quis Benthemii Engliſchen und Hollándiſchen Kirchen und Schulen-Staat jungat, inveniet specimen Theologi non inutiliter peregrinantis, quod plures desiderat sequaces, quanquam & huc faciat Joh. Fabritii Oratio de Utilitate, quam Theologiæ Studiosus ex Itinere capere potest Italico, & D. And. Adam Hochstetteri Orat. de Utilitate peregrinationis Anglicanæ,

§. XIV.

Regulæ speciales Studiosi LL. peregrinaturi.

Quod jam attinet ad LL. Cultorem, si quis Practicum modo aut Iudicem inferiorem agere vult, non est ut pro eo sperari possit singularis

ſingularis ex itinere utilitas, cum ſe adſtrictum ad Leges in Patriæ Curiis ac judiciis receptas, confiteatur. Præſtat tamen noſſe & inſpexiſſe proceſſum imperii, nec non fundamenta legum, diverſitates, mutationes in variis gentibus varias. Præter cognitionem igitur juris patrii municipalis, provincialis & Imperialis cum jure Romano ſubſidiario ad manus ipſi ſit Catalogus Jurium Exoticorum quæ inquirere peregrinando & compendium Jurisprudentiæ legislatoriæ, quod augere & patriis legibus applicare poſſit. Poterit forſan priori ſcopo inſervire *Giſeberti Deuteronomion ex variis gentium juribus illuſtratum*, prout de poſteriori ſive nomotheſia præclare diſſeruere *Hopperus* in Seduardo, *Conringius* in Civili Prudentia, & *Octavius Piſanus* in Lycurgo, quanquam ſpecialis adplicatio ubique deſiderari poſſe videatur.

§. XV.

Regulæ ſpeciales Studioſi Medicinæ peregrinaturi.

Medicinæ cultor qui itineribus jure ſuo Experientiſſimus evadere poſſe videtur, non ſolum morborum in patria conſvetorum præno ſcat catalogum, & eorum remedia juxta cum medendi methodo ſatis probata, ſed etiam habeat ad manus catalogum difficilium & fere incurabilium e. g. podagræ, calculi & phtiſis pluriumve aliorum, quæ rectiſſime *Medicorum Scandala* audiunt. Habeat etiam in numerato inſigniora noſocomia, & theſauros anatomicos, botanicos, naturales quoscunque, unde augetur Medica, Phyſica & chirurgica ſcientia. Juvabit morbos cuilibet regioni familiares audiviſſe, nec non eos, quibus non æque in his aut illis regionibus adhiberi promta medela poteſt, ut in Anglia lues Gallica difficillime ſanabilis ab Excell. Hoffmanno (*) affirmatur, cum a lymphæ contumaci coagulo & ſtagnatione oriatur, & ſpirituoſum ac mobilem requirat ſanguinem, qualis ſub tali aere gravi humido difficillime generatur, ita ut ea laborantes in Galliam trajicere optimo ſucceſſu ſoleant. Uberiora de Cimeliis ejusmodi ſuppeditabunt Ritter-Platz P. III. & inprimis D. Majors unvorgreifliches Bedencken von Kunſt- und Naturalien-Kammern.

(*) conf. Diſſ. ſupra cit. Cap. V. §. 3.

§. XVI.

Regulæ speciales Politici maxime Aulici peregrinaturi.

Politicus prout eum hic loci consideramus, duplicem habet respectum, vel aulicis vel militaribus negotiis destinatur. Uterqve quidem ante peregrinationem noscat aulam patriam, ejusqve statum præsentem, aulico autem futuro profundior fere notitia aulæ & nationis status, regionis subditorumqve exactior excussio competit. In aula imperantis persona eminet, ejusdemqve corporis ac ingenii dotes, virtutes & vitia non fugiant peregrinaturum, quæ eminens ejus propensio, an ipse an uxor augusta amasia multum valeat, quis demum omnium ministrorum ministrissimus? quæ ministrorum factiones? &c. Quo altius porro in ipsam regiminis formam, nexumqve imperantis & subditorum, rationes ærarii publici, subditorum, commerciorum & regionis conditionem, rerumqve politicarum cujuscunqve sint generis defectus, penetrare potest, eo profundius etiam inquiret in exterorum regimina eo plus utilitatis exin in ipsum & patriam redundabit; non omittenda est seria inquisitio, quocum statu exterorum maximum nexum patria habeat, ministri extranei conveniendi, & ut commendationibus præsto sint rogandi, catalogo etiam ministrorum ex patria in peregrinis civitatibus degentium non parum juvabitur. Varii defectus rei politicæ ex Joh. Joach. Becheri, Politischen Discursen von den eigentlichen Ursachen des Auf- und Abnehmens der Städte, Länder und Republiquen, luculentius apparebunt, uti in Illustris Seckendorffii Teutschen Fürsten-Staat, ea, quæ exquirere in aulis & rebus politicis exterorum futurus peregrinator debet, satis illustrantur.

§. XVII.

It. militis peregrinaturi.

In eo, qui militari statui destinatus est, exercitia quidem patriæ militaria cum mathesi, pyrotechnica & accuratiori Geographia prærequiruntur, sed præter hæc urbium celeberrimarum ac propugnaculorum ideas ac delineationes noscat catalogumqve ad manus habeat, quorum comparatione cum aliis instituta, multa sæpius ipsi corrigenda & supplenda occurrent, quem in usum evolvi potest Ritter-

Ritter-Platz P. I. Quæ ulterius dicta sunt in §. antecedente & huc mutatis mutandis pertinent, uti & plurima ex hactenus allatis mediis specialibus Philosophiæ Studioso peregrinaturo adplicari possunt, ex quibus plurimi Facultati cuidam superiori se simul manciparunt. Pluribus itaqve ad præparationem vix opus erit, quin potius missis regulis præparationis ad iter ipsum ejusqve prudentem directionem pedem promovere queamus.

CAP. II.

De Regulis ipsam peregrinationem dirigentibus.

§. I.

Qualia media in capite præsenti traduntur.

QUemadmodum enim priores conciliare peregrinaturo aptitudinem debebant; ita præsentes, quibus non extraordinaria, in potestate fortunæ sita, sed ordinaria exhibentur media, instruunt eundem ut in actu peregrinandi felix & sospes scopum consequatur. In hoc autem ambæ conveniunt, quod æqve in his ac in prioribus media in generalia, omnibus nimirum vitæ generibus communia, & specialia, ad specialem scopum hujus vel illius vitæ generis directa dispesci queant; hæc certæ si bene a quocunqve peregrinantium invicem separantur, & scopus quem quisquis diversissimum habere potest, accurate observatur, non potest non quin hæcce finium consideratio mirifice juvet peregrinatorem. Illa autem generalia scilicet, iterum ad tria capita commode revocari posse nobis quidem videntur, [illegible] vel negotia itineris, vel conversationis ac vitæ consvetudines, vel studiorum dirigunt. Omnis hujus capitis tractatio, uti cum toto themate nostræ disputationis deprom[illegible] ex principiis prudentiæ

tiæ vivendi, tanquam ex propriis fontibus, ita multa vulgo in illa tradita & hic etiam applicationem invenientia, volentes mittimus, falcem non in alienam messem immissuri.

§. II.

Reg. 1) patria ipsa primum peragranda est

Ordine ut persequamur institutum nostrum, juvabit inter regulas ad negotium ipsius itineris pertinentia referre primo statim loco, ut omnino iter a patria ipsa inchoetur, ac ea quantum fieri potest, tota peragretur, hujus enim in salutem regulariter omnia cedere debent molimina, hujus defectus quotquot eorum in universum deprehenduntur, suppleri corrigi atqve emendari debent. Quæ omnia haud feliciter perficiuntur, nisi notitia patriæ haud superficiaria, ex qua demum innotescunt defectus, præcesserit. Sæpe meliora in patria habemus, quam peregrinantes deprehendimus, sæpius bona apud exteros videmus, ignorantes an pejora an meliora apud nos sint, sæpissime extra patriam quærimus magnis sumtibus atqve periculis, quod citra periculum minimis impensis domi ad manus erat. Inde tot Galliæ tot exterorum admiratores, proditoresqve honoris Germanici, cum nihil viderint apud suos, putant apud exteros visa sola esse admiratione digna, nec domi unquam invenienda. Nullus exeat patria Germanus, quin regias Germaniæ potioresqve Principum aulas, Academiasqve perlustraverit, postmodum in Belgium, Galliam & Britanniam excursurus. Ubi tamen demirati sæpissime sumus, non inventos esse hactenus ex Germanis, qui curiosa & politica hujus regni paululum specialius modico volumine persecuti sint, ut exterorum appetitus hoc modo accensus efficeret, quo minima aliqua pars pecuniæ redeat per peregrinantes exteros in Germaniam, quam Germani nimiis & sæpissime noxiis peregrinationibus hactenus largissime exportarunt.

§. III.

2) Linguam illius provinciæ, quam aditurus est, calleat.

Illam provinciam ex patria egressus peregrinator adeat, nisi cujus linguæ aliquo modo calleat, sic enim plebis fraudibus circumveniri non facile poterit, quas expers linguæ vix ac ne vix quidem

dem effugiet. Diu alias hærendum, antequam cum indigenis consvetudinem inire queat, ut fructu optimo certissimoqve defraudetur. Ad minimum tamen cum impeditus fuerit, quo minus ipsam lingvæ peritiam imbiberet ante, ipsi sit comes itineris gnarus lingvæ aliarumqve rerum illius Gentis in itinere obviarum, cujus vicem interdum probus mercator, alius etiam ejusdem loci indigena, non infimæ conditionis obire potest. Consultissimum autem fore nullus in dubium vocat, ut ab initio statim patria relicta comite totius peregrinationis sit instructus, non vero tali, qui æqve ignarus & inemendatus ac ipse est, prout non raro fieri consvevit.

§. IV.

3) momenta circa postarum rationem observanda.

In qualibet urbe celebri postarum rationes, variationes, cursus statim, ac intravit, sibi notas faciat, ut in præcedenti Cap. §. XI. jam jam monuimus. Nec unquam, quam diu iter faciens utitur, sodalitio peregrinorum, sive in cursu publico, sive in diversorio, quocunque demum loco, aut superbia ductus, jactet semet, aut levitate animi prodat sua vitia, aut temeritate imo stultitia nomen mutet & professionem vitæ maxime in propugnaculis & sedibus Principum, cum semper sit periculosum & perfacile incurrat fata exploratorum.

§. V.

4) Nullus locus absque litteris commendatitiis adeundus.

Nec facile ullum adeat locum absque literis commendatitiis, harum enim auxilio aditus panditur facilior celebres aut quoscunque bonos viros salutandi, quorum consvetudine & comperire notabilia locorum & videre poterit, cum alias auxilio destitutus nihil proficiet, vitamque ducet in diversoriis incelebrem & inertem. Litteræ autem commendatitiæ non necessario ab eruditis requiruntur ad eruditos, quandoquidem hac in parte literæ mercatorum aut aliorum etiam civium esse possunt usui sufficienti, imo interdum meliori. In excursionibus etiam quæ instituuntur ad permeandas circumjacentes urbes locaque alia, quæ ordinaria postarum via non tanguntur, idem mos, si unquam fieri potest, observandus, licet fieri queat,

ut absque his aditum ad viros celebres non quæramus tantum, solam famam eorundem pro causa allegantes, sed inveniamus etiam sæpissime.

§. VI.

5) Quænam diversoria ingredienda?

Sæpe fit ut peregrinantes diversoria obscura eligant o minori pretio rerum sese commendantia, quæ tamen omni studio vitanda esse censemus. Incommoda enim inde oriunda longe majora sunt quæsitis commodis. Raro admodum illorum fama ita comparata est, ut omni careat suspicione male actorum, & vile consortium in iis obvium facit, ut boni viri vilioris etiam nosmet conditionis & consvetudine eminentiorum indignos habeant, multominus nos adire in ejusmodi velint latibulis. Secus in lautioribus diversoriis, ubi hæc non timenda sunt, nunquam potius occasio deerit in magnorum virorum pervenire notitiam, atque diversissimorum hominum consvetudini adsvescere. Quin imo non in una diversoria taberna mensa semper frequentanda est, sed præstat interdum alias, aut insigniores etiam adire mensas, quibus maxime peregre venientes aut excellentiores viri utuntur, ex quorum notitia non vulgaris usus in nos potest derivari.

§. VII.

6) Ex primaria urbe excursiones faciendæ in circumjecta loca.

Cumqve impossibile sit, ut via postarum ordinaria omnia tangantur loca visu digna, neqve tamen ea ita sicco pede præteruenda sint, consultum est, ut si aliquorsum perrexerit, in circumjacentia loca, quæ memoriam merentur, opportuno tempore & occasione excursiones faciat & in palmariam urbem recurrat. Negari enim non potest, in locis quandoqve obscuris, Geographiæ Autoribus minus notis, varia deprehendi visu memoriaqve digniss sima, quod ipse Polyhistor *Schurzfleischius* suo comprobat exemplo expresso in Litteris nuper editis arcanis cura Celeb. ejus Fratris *u) Jam prope, inquit, meæ profectionis Belgicæ finem statueram, cum mox omnium Belgii regionum accurate videndarum cupido me incessebat.*

u) epist. LXIV. ad Christ. Jacobi JCt. Dresd. p. 110.

ſebat. Forte enim in Patrem Brabantiæ haud indoctum incidi, qui ex me ſciſcitatus, quas vidiſſem in Belgio Eccleſias, reſponſum ſane promtum tulit, cumq; audiviſſet, Vicognium non perveniſſe, ubi Bullionius nunc Præſul eſt, ingenue dixit: Vicognium non vidiſti, nihil vidiſti. Itaque iter huc non inani labore direxi. Cæterum ſitus Trajecti ad Rhenum peropportunus in Belgio a Geographis celebratur, quod hac ex urbe inſigniori contendi poſſit ad oppida circumjacentia ſex & viginti, adeo ut brevi ſpatio commode repeti queat Ultrajectum.

§. VIII.

Quocunqve ſuſcipias iter, præter itineris regulas aliæ conſvetudinem cum aliis hominibus dirigentes & ad homileticen eruditam civilemqve pertinentes deſiderantur. Inde converſandi artem prudentiæ civili ad latus jungi debere, & hanc ſine illa rudem & ingratam futuram recte pronuntiat Morhoffius in Polyh. *x*) ubi & regulas in converſatione erudita obſervandas tradit, quæ maximam partem ad omnem civilem converſationem pertinere videntur. Cum maxima converſandi occaſio in peregrinationibus ſuppeditetur, haud immerito legi poſſunt huc inprimis facientia: Celeb. Benthemii Præfationes in Holl- und Engelländiſchen Kirchen- und Schulen-Staat, nec non Menantes *y*) quibus varia de prudentia vivendi & converſandi edita ſcripta jungi poſſunt, ut Gvazzo in libris IV. de civili converſatione, Ill. Chriſt. Thomaſius in Prudentia conſultatoria, Celeb. Mullerus in der allgemeinen Klugheit zu leben, cujus c. IX. de converſatione erudita, c. X. de converſatione peregrinantium brevibus aphoriſmis conſcriptum legitur, maximopere autem in hoc campo deſudavit. Georg. Loyſius in Pervigilio Mercurii ſupra jam laudato.

De regulis conſvetudinem cum aliis hominibus dirigentibus.

§. IX.

Generalibus autem his addenda adhuc ſunt particularia in itineribus obſervanda, quæ primum electionem converſationis concernunt.

Regul. 1) cum conterraneis noſtris non magna ſit conſvetudo.

x) l. c. p. 1537 *y*) In der Manier höflich uñ wol zu reden und zu leben p. 302. ſqq.

cernunt. Expediti enim juris est, cum hominibus cujuscunque farinæ non debere iniri consvetudinem. Primo statim loco monendum, ne cum conterraneis suis adeo magna multominus major quam cum ipso populo, apud quem degitur, consvetudo colatur, ne patriam frustra dereliquisse videatur. Satius fuisset manere in patria quam ut ita ingentes male perdantur impensæ. Majorem itaque in modum vitanda diversoria, ubi conterraneorum magna copia atque frequentia deprehenditur. Sit cum hoc aut illo ex conterraneis arcta consvetudo, sed nimia & perpetua frequentatione non plus justo detrahatur notitiæ & conversationi exterorum, quin potius huic inserviat usui, ut cuncta visa & ab exteris audita eo accuratius invicem conferantur.

§. X.

2) Illorum consortium vitandum, qui se alicui obtrudere videntur.

Multo magis adhuc quilibet illorum consortium vitabit, qui statim nimia familiaritate & verborum lenociniis se ad officia conversationem & amicitiam offerunt, aut ac si nostram familiam nostrosque amicos optime nossent, diu etiam in eadem regione, ex qua profecti sumus, essent commorati, simulant. Ordinarius hic & non fallax erumenisecarum falsorumque lusorum character est, quem Galli non ineleganter dicterio exprimunt consveto: *Quand quelqu'un te fait plus de careſſes, qu'il n'a de coutume, c'eſt un ſigne qu'il t'a trompé, ou qu'il te veut tromper.* Pauci sane imo fere nullus solo amore proximi ductus alteri imprimis advenæ opera sua ultroneo motu adfuturus præsumitur, nisi alium finem eodem tempore consequendum occultaverit.

§. XI.

3) Insignes ex patria Viri adeundi.

Visis jam iis, qui aut non magnopere quærendi, aut omni opera effugiendi, de illis dicendum, quorum præsentia omni cura ambienda est, ita omnes, qui sæpius easdem regiones jamjam peragrarunt prudenter, adeundi sunt, inprimis probatissimi quicunque seniores. Pulchre & pie id ex Patrum cœtu inculcat *Ambrosius* his verbis z) *ſequatur converſationis electio, ut adjungamur probatiſſimis quibus-*

z) L. I. de Offic. c. 43.

quibusque senioribus. Namque ut aqualium usus dulcior, ita senum tutior est, qui magisterio quodam & ductu vitæ colorat mores adolescentium & velut murice probitatis inficit. Præsertim insignes ex patria Viri, Ministri, Legati cujuscunque nominis, Principes etiam personæ, si patitur occasio, salutandi sunt, iisque inserviendum. Non statim in vitio poni posse existimamus, si quandoque Principes liberius accedimus, ac consveti ceremoniarum limites concedunt; licet vix occasio queat deesse, si quis opportuno usus fuerit medio, ut aditus auxilio Directorum, aliorumque qui Principi a Secretis, a manibus, etiam a servitiis sunt, quæratur, quos sibi faventes reddere omni cura laborandum, nec quandoquidem muneribus parcendum.

§. XII.

4) Omnes in Republ. peregrina magni Viri quærendi.

Nulli facile dignitate aliqua eminentiori aut eruditione fulgentes in Republica peregrina prætereundi sunt. Nam non ita sollicitus esse debet solers noster observator in inveniendis salutationum causis, cum minima sufficiat occasio, sola etiam nominis fama, humanitate quadam exposita. Libertate hic opus est, modestia tamen verborum studiorumque summa humanitate & observantia temperata. Apud omnes expedit exemplo Clariss. Wagenseilii ea, quæ ad illorum, quos salutaturus est, laudem pertinere videntur, proferre, sic verbi gratia apud Generosum & in dignitate constitutum generis antiquitas majorumque facta, apud doctos ipsorum libri editi, ubicunque locorum eruditis probati uberrimam suppeditant laudis materiam. Hoc certe arcanum *Wagenseilius aa)* hausisse gloriatur ex Plinio Secundo ita scribente ad Arrianum: *Omnes qui gloria famaque ducuntur, mirum in modum adsensio & laus a minoribus etiam profecta, delectat. Te vero Marcellianus ita reveretur, ut judicio tuo plurimum tribuat. Accedit his, quod si cognoverit factum suum isto usque penetrasse, necesse est, laudis suæ spatio & cursu & peregrinatione lætetur.*

aa) l. c. p. 237.

§. XIII.

5) Consortia ex utriusque sexus personis honestis mixta quandoque quærenda.

Neque disvadendum maxime Politico est, ut quærat consortia regularia ex utriusque sexus personis honestis mixta, quibus hominum celebritas & frequentia titulum *des assemblées* imposuit. Hac ratione in multorum perveniet notitiam, notos sibi reddet Proceres Status aut insigniores familias, liberiores etiam discursus de negotiis Status variarumque rerum hujus vitæ formare adsvescet, honestoque fœminarum consortio juxta linguæ Gallicæ exercitium aptior reddetur. Sed ejusmodi collegia ad eos modo pertinent, quibus linguam callentibus Gallicam exercitatisque ingenio, præ cæteris literæ argentariæ apparent largiores; nec lusus, qui polito Orbi nostro arridet sub nomine l'homre plane ignotus est.

§. XIV.

6) Vestibus honestis non vero abjectis fit ornatus.

Ubicunque inter honesta consortia sit noster voluntarius exul vestes habeat non quidem pompam & luxuriam indicantes, sed honestas & elegantes non abjectas. Exterior forma habetur utplurimum pro caractere interioris indolis, & nimium abjectis incedens vestibus, abjectus & ipse habetur. Probe observavit Benthemius in Præfatione supra allegata, non raro a Britannis talia de exteris, judicia ferri, de quibus ille versus tritissimus ex ore *Augustæ Reginæ Svedorum Christinæ* auditus testatur

Vir bene vestitus pro vestibus esse peritus
Creditur a mille, quamvis Idiota sit ille.

Equidem vestium exterior species nullas conciliat interioris animi dotes, nec eas minuit aut amplificat; favor tamen hominum his, opinionibus eorum accommodatis, non parum mox augeri mox diminui potest. Ast pretiosæ nimis vestes non tantum non prosunt, sed nocent etiam, ditior enim plerumque habetur peregrinans

nans, ad plures sumtus irritatur, & in diversoriis ob vestes sæpissime pretio æstimatur majori.

§. XV.

In his similibusque cujuscunque Nationis genius regnat, cui cum moribus ejusdem, quantum licet, cognosci debet, hoc enim plurimum ad felix cum ipsis consortium facit instituendum. Barclajus aliqua ex parte in icone animorum viam præire voluit, majori usui futurus, si eadem diligentia specialiores cujusque Nationis prodidisset characteres, ac exposuit generaliores & nimium vulgares. Lucem aliquam huic rei satis curiosæ affundere laboravit La Croix sua in Geographia mores quarumcunque Nationum explicans, ubi præsertim in Capite de Gallis partes explevit, suas, ita tamen ut multo felicius Comitissa d'Aunoy in itinere Hispanico speculum morum expresserit Hispanorum. 7) Mores cujuscunque Nationis antea paululum cognitos habeat.

§. XVI.

Econtrario multum in omni cum exteris conversatione prodest genium & mores Nationis suæ occultare vitiaque communia ejusdem omni molimine vitare. Inculcat hoc inter alia prudentissimus ille Hispanorum Gratianus in homine Aulico Regula IXna. Nam si hac ratione simul professionis ætatisque consveta vitia emendantur, non leve erit medium, quo admirationem nobis apud exteros æque ac nostrates pariamus. 8) Contra de Nationis suæ moribus non multum propalandum.

§. XVII.

Cum quibuscunque Nationibus consvetudinem habeas, noli de integris Nationibus, formis Rerumpublicarum, earumque defectibus, religionibus, Principibus, inprimis imperantium moribus, technis secretis, amoribus aliisque similibus liberius judicare. Eleganter Clariss. Schurzfleischius *bb*) hanc in rem disserit 9) In Consortio exterorum non libere judicandum.

bb) l. c. epist. CCLIIX. p. 424.

ſerit in Arcanis Epiſtolis: *Excelſum & ſublime faſtigium eſt, in quo Reges poſiti magna terrarum orbis imperia gerunt, & ſuo atque ſummo arbitrio res humanas moderantur. De quorum poteſtate potius tacere quam ſcire licet, niſi facultate ſciendi modeſte & quatenus civis officio congruit, utamur.* Multis etiam novellas ordinarias cum liberiori de factis Principum criſi retuliſſe nocuit, & quod in Belgio fere licet, de omnibus ſententiam ſuam dicere, id in plurimis regnis non ſine periculo honoris ac vitæ exercetur.

§. XVIII.

16) Inter Pontificios prudenter verſandum.

Inprimis inter Pontificios opus eſt notitia Ordinum Clericalium, ſimultatumqve inter eosdem intercedentium, quales notiſſimæ ſunt Franciſcanorum ac Dominicanorum, horumq; rurſus cum Patribus Jeſuitis. Non omittenda eſt notitia ceremoniarum Eccleſiaſticarum, quibus de omnino conſulendum eſt Clariſſ. Wagenſeilii Ceremoniale vel Rituale ſupra citatum in Pera juvenili. Tota enim hæc religio in ceremonias abit, iis autem deſtitutus peregrinator haud feliciter intereſſe poterit eorum conſortiis atqve congregationibus, facillimeqve impinget, quod illi ſine offenſione vix ferre conſveverunt. Fieri tamen poteſt, ut ſi harum rerum antiquitatum, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, lingvarum, Studiorumqve Mathematicorum gnarus ſit, multum ex converſatione cum Clero Papali addiſcat, in œconomicis etiam arcanis ſcholas meliores quam monaſteria haberi dubitandum eſt. Abſtineat modo a controverſiis religionis, in quibus ſi vincitur, ignominiam, ſi vincit vindictam, ſæpe cum internecione conjunctam, ſemper autem odium experietur. Simulabit potius ac ſi ipſi nullius religionis dogmata usqve adeo curæ cordiqve ſint, ut velit tam acriter idcirco litigare, id quod peregrinanti licitum eſſe ad rixandum non vocato, nullus æquus rerum æſtumator negabit. Exulat enim verus Chriſtianiſmus inter Papæos, & veriſſime dixit, qui dixit, facilius eos Atheos ferre quam veros Chriſtianos poſſe.

§. XIX.

§. XIX.

Apud quoscunqve sit, vel maxime inter peregrinos jactantia de Natione, Patria, Imperante, familia, factis suis aut recensio tantum de his frequens cane & angve pejus vitanda. Præstat quæ alibi in ea, ubi degis, provincia, visa & audita sunt, cum modestia recensere, eorum frequentem facere mentionem, ac plures eorum exquirere circumstantias. Est enim principium insinuationis & amoris, accommodatio juxta aliorum mores, principia atqve placita, sed hæc jactantia & decoro & huic principio e diametro contraria est. Nulla re magis odio ac invidiæ aliorum nos exponimus quam propriis laudibus, licet nemo sit, qui non laudibus suæ nationis, tanquam signis æstimii certissimis exsultet.

11) De semetipso in Consortio paucissima proferenda.

§. XX.

Loco hujus jactantiæ & materiarum huc spectantium de factis & curiosis illius Gentis, ubi vivis, frequentius interroges. Innatum hoc est populis, ut ament eum, quem sollicitum de rebus suis vident, amatorem enim nationis credunt, eamqve ob causam omni opera ipsi adfuturi sunt, ut desiderio ejus satisfiat. Ita cum eruditis materiam discurrendi inveniet, si unam aut alteram controversiam inter eos pro hac aut illa facultate actam sibi cognitam bene ac perspectam reddiderit, ut omnia quæ de ea haberi possunt legendo & audiendo colligat, memoriæque mandet, adeo ut quocunqve momento omnia sibi in memoriam revocare possit, & data quacunqve occasione sermonem ita inflectere quo controversiæ illius mentio fieri & de ea discursus continuari queat.

12) Præstat frequentiorem facere mentionem illius Gentis, apud quam degitur, ejusque factorum.

§. XXI.

Vix commodum videretur, communem addere regulam a lusoribus & fœminis minus honestis summopere abstinendum esse, nisi contraria praxis usqve adeo invaluisset, ut fere peregrinans a multis politus non habeatur, qui non lusibus variis fœminisqve pudicitiæ venalis probe fuerit exercitatus.

13) a lusoribus & fœminis minus honestis abstinendum.

§. XXII.

§. XXII.

14) Amicorum exterorum Index concinnandus.

Quod si econtrario amicos conversando ac Patronos salutando adquisiverit, svasores essemus, ut eorum Indicem vel Catalogum cum nominibus & cognominibus patria maxime, muneribus quibus præsunt, & ubi literis compellari possint (addresse) sollicite conficiat. Huc inprimis faciunt Philopinacia, seu albam amicorum & Patronorum, quæ utiqve non sunt contemnenda, si hoc modo & huic fini adaptantur. Ea vero Patronis Virisqve in Republica insignibus præsentare, non levem judicii lapsum sapit, interqve omnes constat, quanto ea sint fastidio Batavis atqve maxime Britannis, amicos autem maxime intimiores ita conservare inter itineris fructus merito referendum.

§. XXIII.

Regulæ Studiorum rationem in peregrinando spectantes.

Post has regulas ad praxin vitæ spectantes sequuntur quæ studiorum in peregrinando rationem & media exponunt. In genere quidem studia magis per conversationem quam multam lectionem excolenda sunt; conversationes enim sunt collegia peregrinantium, adeoqve magis tempori serviendum, ut aliquid novi audiatur & videatur. Interim tamen optime tempus matutinum & vespertinum sumta cœna atqve deficiente consortio, ex quo non multum utilitatis sperandum, annotando, ruminando, legendo consumitur. Atqve ad hæc studia peregrinantium Clariss. Wagenseil. maxime respexit in libro von Erziehung eines Prinzen cc) sectione de arte apodemica. Sed brevitas & scopus ipsi nec ordinem servare nec sufficientia exponere media permisit.

§. XXIV.

De Studiis peregrinandum, Reg. 1) Systema facultatis suæ habendum.

Opinaremur autem bene studiis suis consulturo opus esse, ut systema breve, & cui adsveverit, suæ Facultatis secum habeat, illud diligentissime repetat, hinc & illinc curiosis illustret observationibus ex sermonibus Doctorum, Lectionibusqve librorum rariorum petendis. Omnia audita & lecta sua de Facultate ad locum opportunum in systemate referat, & si lingvis maxime operam

cc) p. 208. seq.

peram dare vult, Lexicon ſecum habeat oportet, cum ſyſtemate antiquitatum gentis, cujus lingvam maxime colit.

§. XXV.

Ubiqve theſauri numismatum, antiquitatum, curioſitatum, naturalium, anatomicarum rerum ſtudio indefeſſo ſunt exquirendi ac viſitandi; & ut utilitas eo certior gratiorqve eveniat, multum juvabit de his omnibus ad minimum poſſidere levem quandam & ſuperficiariam notitiam, in quem finem non absqve uſu uſurpabitur Baudelots L'art de voyager ſ. utilité des voyages, in qua Autor totus eſt, ut inſtruat antiquitatum amatorem peregrinaturum, huic adjungi poteſt Ritter - Platz P. III. præcognita admodum neceſſaria referens. Alias enim Inſpectores ac Directores curioſitatum noſtra non ita delectantur præſentia, multominus curioſiora aperient ſermocinando, niſi perſpecta prius peregrinantium cupidine fuerint allecti. 2) Theſauri antiquitatum, curioſitatumque omnium frequentandi.

§. XXVI.

Cumqve in variis locis maxime in Italia & Romæ etiam in Galliarum Verſalia, Britannia, & Belgio ædificia ac rudera ædificiorum, nec non ſtatuæ ac picturæ magnam partem curioſitatum conſtituant, prout earum imagines ac typi elegantiſſimi magnam partem in Sandrarti Academia Germanica exhibentur; opus eſt ut ad intelligendas & dijudicandas ejusmodi res maxime ad proficiendum in earum cognitione, architecturæ Statuariæ & picturæ quoad fundamenta & nonnulla curioſa notitiam ſecum afferat, & rariora opera aut delineet ipſe, aut delineationes ſibi comparet, ne ideæ rerum ex obruta viſis memoria plane perdantur. Ad prius pertinentia non inconcinne tangit Wagenſeilius *dd*) cum Autore des Ritter-Platzes P.I. poſterius autem partim per ſe intelligitur, partim ex artis pictoriæ fundamentis, de quibus ſupra diximus, illuſtratur. 3) Rerum curioſarum imagines delineandæ aut picturæ coëmendæ.

dd) L. C. p. 93. ſeqq.

§. XXVII.

4) Bibliothecæ frequenter visitandæ, earumdemque rariora inprimis notanda.

Maxime ad augendam eruditionem facit bibliothecarum visitatio, ita ut Bibliothecariorum familiaritas, quantum fieri poteſt, contrahatur, quorum conſvetudine libri rariores, editiones curatiſſimæ & inprimis MSSta exquiri poſſunt. Nec pœnitebit noſſe quæ ſunt criteria bene inſtitutæ Bibliothecæ, ejusdemque rariora in univerſum, quibus quælibet ſane ac ſingularibus gaudere ac gloriari poteſt. Ad manus ergo eſſe debet cuicunque bibliothecas exterorum ingredienti eorum, quæ rariſſima inibi ſunt, catalogus, ſi unquam haberi poteſt, qua de re prolixum foret ſpecialius præcipere. Sufficit exemplorum loco afferre, quod tali ratione inter bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis Academiæ rariora numeretur MSCtum rariſsimum & Juris Canonici velut Archetypum *Ivonis* Carnotenſis Epiſcopi Compilatio vetus & prima Decretorum, ideo a D. And. Rivino, Polyhiſtore Clariſſ. Anno 1639. ſequenti verſiculo inſcriptum notatumque:

Ultima non laus eſt, Pandectas ſi quis Hetruſcas
Vidcrit, haud minor eſt, quisquis Ivonis opus. *

Ornant pari modo inſtructiſſimam Bibliothecam Senatoriam Lipſiæ noſtræ, præter icones plurimas, quæ æri inciſæ, ſumtibus maximis comparatæ, & præter naturalia & artificialia plurima, inprimis inſtrumenta mathematica, MSCti Codices Orientales & Hiſpanici rariſſimi, quorum copia ab illuſtri Wagenſeilio divendita huic cimelio accesſit, ut pluribus expoſuit excellentiſſimus Dom. D. Chriſtianus Gœtzius. ** Nec bibliothecæ Auguſtæ, quæ Gvelberbyti aſſervatur, deſunt ejusmodi ſelectiora, inter quæ Rationale divinorum officiorum ap. Fauſtum an. 1459 impreſſum, ex MSCtis autem Biblia Hieronymi an. 1315. a monſtro Fratre Sigfrido Vitulo ſcripta,

*) de his & pluribus v. Fellerum in Præfat. Catalogi Codicum MSCtorum Biblioth. Paul ** in Programmate cum Bibliotheca hæc publice aperiretur an. 1711. conſcripto ſubtit. Bibliotheca Magnifici Ampliſſimique Senatus Lipſienſis ex decreto ejus BONÆ MENTI jam dedicanda atque aperienda &c.

ſcripta, quem tamen alii monſtrum fuiſſe negant, *** dein Biblia Lubecæ an. 1494. lingua Teuto-Saxonica exarata, quæ gloſſam, a nonnullis Lyræ adſcriptam, ſuper verba Gen. III. und er ſoll dein HErr ſeyn, & fœminis ſatis odioſam: dy vakene to pyneghende un to slaende, exhibent, numerantur. Taceo Arndii Paradieß-Gärtlein in mediis flammis conſervatum, Ignatii Epiſtolas ad Philadelphenſes, alia, de quibus alii prolixius. **** Pluribus huc facientibus peregrinantem inſtruere poteſt *Celeberr. Struvii Introduct. ad Notitiam rei Litter. & Gallois in Traité des plus belles Bibliotheques de l'Europe.*

§. XXIIX.

5) Libri rariores coëmendi vel excerpendi.

Refero huc pariter coëmtionem aut ad minimum inſpectionem librorum rariorum, quorum copiam in his aut illis exoticis provinciis melius quam in patria habere poſſumus. Adſit peregrinanti horum catalogus, cum obſervatione locorum, ubi forſan coemi aut videri poſſint, ſimulque ſecum gerat librum quodlibeticum, ut vocant, quibus excerpta ex ejusmodi libris ſi emi non poſſint, inſcribantur, & tanquam rariora conſerventur.

§. XXIX.

6) cujuslibet regionis adeundæ libellus Geographicus & hiſtoricus ad manus habendus.

Ut autem ſciat, ubi vel maxime ſcientiis & eruditioni ſuæ conſulere queat, præter mappam Geographicam, perpetuum Comitem, opus eſt, ut ſimul ac provinciam quandam ingreditur aut ingreſſus eſt, libellum Geographicum & Hiſtoricum ad manus quotidie habeat, qui eum diſtinctius de omnibus urbibus ac locis celebribus eorumque curioſis inſtruat, Hic liber nocturna diurnaquë manu verſandus, & in ſanguinem vertendus; Cujus generis æſtimandi ſunt les delices d'Espagne, de Portugall, de France, de Pais-Bas, de la Hollande, d'Italie & d'Angleterre. Gallicæ vero nullius fere ſunt pretii. Respublicæ ab Elziviriis editæ. Miſſonii Itineraria Italiæ ac Germaniæ. Benthemii ſcripta. The new aut

*** v. Neue Bibliothec X. Stück p. 902. an. 1710. ****huc pertinet C. H. E. D. Iter Anglicum & Batavum p. m. 5. ſeqq. quod ſcriptum etiam in der neuen Bibliothec VI. Stück p. 508. ſeqq. recenſetur 1710.

the present State of Engeland, cujus semper editio novissima amatur; & Addissons Remarcs on several parts of Italy huc maxime collimant. Nec Calendarii sub nomine venientes (Address-Calender) aut Catalogi Professorum in academiis, aut insigniorum in civitatibus, (e. g. das jetztlebende Leipzig) omittendi erunt.

§. XXX.

7) Vernacula lingva cujusq; regionis, quam petiturus est, addiscenda.

Literarum vero studia neque sat coli neque ipsi eruditi adiri commode possunt, nisi præter latinam lingvam lingvas etiam accurate addiscat exoticas. Quanquam enim ea omnibus eruditis propria est, non raro tamen loqui eandem nolunt, quod bene notavit de Anglis *Celeberr. Schurzfleischius: ee) Pauci sunt*, scribens, *qui latine hic loquuntur.* Eam etiam siquando loquuntur, dialecto Anglica, Galli Gallica pronunciantes difficilius intelliguntur. In itineribus autem optima lingvis discendis occasio, de quarum necessitate jam supra aliquid dictum, perceptis enim brevissime lingvæ regulis ad ipsum statim exercitium accedendum est, quod omnino expeditum inveniet, si adminicula a Celeberr. Benthemio *ff)* commendata diligenter adplicantur, ut hospite suo præsente & audiente paginas sacras legat quotidie, eumque in finem horas precibus publicis dicatas non omittat, adhibitis precationum libris, ita futurum, ut & adsvescat lingvæ pronuntiationi, & in loquendo parvo temporis spatio interveniente exercitatus reddatur.

§. XXXI.

8) In quocunque loco unus ad minimum eruditorum conveniendus.

Ita instructus quærat conversationem cum eruditis quorumcunque locorum, nec enim dimittendus facile locus, ubi non unum vel alterum sapientem aut eruditum virum convenerit. Ergo opus erit historia Litteraria optimorum in quolibet studiorum genere hinc & inde viventium præsertim in eo disciplinarum circulo, cui seipsum mancipatum fatetur, quibus auditis, ex omnibus facultati-

ee) l. c. epist. XXXIIX. ad Casp. Zieglerum ex Britannia.

ff) l. c. p. 17. C. III. seqq.

facultatibus insignes Viros adire non gravabitur. Qua de causa de quolibet erudito, in cujus notitiam pervenit, quemque convenit, librum vel unum tantum, eumque minimi sumtus eo in loco ubi habitat, si fieri potest, emat, & optime hoc modo memoriam ejus conservabit.

§. XXXII.

9) Eruditorum qui inprimis quærendi sunt.

Inter alios eruditi singularioris rariorisque eruditionis & famæ quacunque in regione & quacunque in Facultate quærendi sunt; ut pietate insignes, Chymistæ excellentes, Philosophi profundi, Jure-Consulti celeberrimi, Medici experientissimi, Mechanici exquisiti, aut qui alioquin longinquas fecerunt peregrinationes. Apud tales sapientiæ discipulum se exhibere non erubescat, quippe multa sibi adhuc incognita comperiet. Sapientia enim apud paucos in orbe est, iique magis latent, aut ad minimum titulos non adeo ambiunt, cum non raro cum Democrito pro stolidis a stolidissimis male habeatur.

§. XXXIII.

10) Academiæ aut Societates scientiarum non sunt prætermittendæ.

Nolit etiam eos dimittere, qui interfunt Academiis scientiarum, utpote ut plurimum ingenia excellentiora. Sic Anglorum Societas Regia semper fuit composita ex Viris Celeberrimis, quibus encomiis nec defraudanda Leopoldina, Gallica, & Berolinensis nuper exstructa Societas, quarum cujuslibet historia, initia atque incrementa eruditorum oculis subjecta prostant. Huc pertinent Acta Philosophica Societatis Regiæ in Anglia; Miscellanea curiosa Medico-Physica Academiæ naturæ Curiosorum. Histoire de l'Academie Royale des Sciences de Mr. Fontenelle & du Hamel, nec non Acta Berolinensia cum Beschreibung von Aufrichtung der Berolinischen Societatis Scientiarum. Italia maxume scatet ejusmodi minoribus Societatibus, Academiæ dictis, ut Clariss. Wagenseilius erat quondam de societate di ricovrati & di inculti, quarum altera Paduæ, altera Augustæ Turonum floret.

§. XXXIV.

11)In conversando sollicite arcana studiorum inquirenda.

Inprimis in conversando sollicite inquirendum in arcana studiorum singularia, vel methodos practicas; quibus hic aut ille ex eruditis vel ad singularem rerum notitiam vel excellentem famam pervenit, quæ cum occultari soleant, ex conversatione & vitæ inquisitione utplurimum sunt colligendæ. Quicquid de MSStis eorum, Collectaneis, symbolis, inventis explorari potest, non est negligendum.

§. XXXV.

12)in quacunque regione optimiin qualibet facultate autores exquirendi.

Apud quemcunqve eruditorum de Facultatis illius aut studii, quod maximopere excoluit, optimis in ejus patria Autoribus & Doctoribus interroget, eosqve sollicite annotet, eorum posthac ut vel libros cognoscat aut consvetudinem consequatur majorem in modum laborans. Quæ Facultatis suæ pars magis minusve & quomodo colatur, sedulo apud hos exquirat, ut hoc modo defectibus suis patriæqve suæ deprehensis, eo facilius iidem suppleantur.

§. XXXVI.

13) Diario quæ inscribenda.

Imo omnium conversationum eruditarum summaria Diario inscribenda sunt; nec non omnia visa & audita alicujus momenti, hisce enim rite confectis usus fructusqve peregrinationum sentietur uberrimus. Nec desunt publice id fatentes, se plurimum debuisse sermonibus ac consvetudinibus Eruditorum, quod Colomesius de suo Vossio, & Marquardus Gudius de Bibliopolis litteratis, quibus cum ipsi non vulgaris intercessit amicitia, & Excell. noster atqve Experientissimus Joh. Bohnius de suo Marcello Malpighio prædicare non dubitarunt. Libri in Ana desinentes, quid aliud sibi volunt, nisi cognoscatur, quod frequenti Doctorum conversatione fuerint excerpta? Moris fuit Albert. Gentili nulla non ex ore eruditi profecta consignare, nec ignotum est de Jac. Thomasio, Celeb. Polyhistore, quod quoties Casp. Barthii aliorumqve usus est victu, nunquam omiserit consignare sermones notatu digniores. Cæterum in diario conficiendo id vitandum putamus,

ne

ne ea consignentur, quæ ubivis notata offendet, quin potius circa curiosa urbium & locorum liber Geographicus de quo §. 31. diximus, semper antea conferatur, nihilqve nisi ubi aut deficit, aut peccavit, scribatur. Oleum autem operamqve perdet, nisi etiam accesserit repetitio, Pythagoreumqve examen omnium eorum, quæ quolibet die vesperi aut statim altero mane diario inscribere placuit. Præstat in repetitione notatu digniora, vel etiam hactenus non satis explorata ad marginem notare, ut eorum inquisitio eo altius memoriæ imprimatur.

§. XXXVII.

Nec negligenda est hactenus fere ubiqve in scholis neglecta œconomica prudentia, quin potius in itinere quomodo a patribus-familias cujuslibet vitæ generis exerceatur, inquirenda, cujus studio maxime Belgæ excellent. Hac enim omnibus in terris nervus acquiritur rerum gerendarum, isqve augetur & conservatur. Non inutile foret, si superioribus in scholis præcepta ac generalia traderentur ad studium hocce œconomicum pertinentia, inprimis in cujuscunqve patria adplicanda, etiam pro varietate vitæ generum, literatorum, artificum, opificum, mercatorum &c. sic enim deinde solidior studii œconomici cognitio iis, quæ hausta sunt, superstrui posset in itinere. Juvabit interea quemcunqve eruditum Locos communes Oeconomico-Physico-Mechanicos, eum alias absqve utriusqve auxilio non adeo magni progressus fieri possint, in arte domestica, secundum certos titulos concinnatos, facere, ac in eos cuncta, quæ vel in libris leguntur vel in conversatione accipiuntur, aut propria experientia ac meditatione suggeruntur, congerere. Eruditissimum ejus specimen in hac Academia dedit Generos. Dominus *de Rohr* in Diss. Philosoph. *de excolendo Studio Oeconomico* tam Principum quam privatorum, s. von Verbesserung der Haußhaltungs-Wissenschafft so wohl derer Fürsten als anderer Leute.

14) Oeconomiæ ratio ejusdemque admiricula sunt notanda.

§. XXXIIX.

§. XXXIIX.

Tranſitus fit ad regulas particulares.

Præter hæc, quæ dicta ſunt, eſt quidem adhuc generalium peregrinandi regularum largiſſima meſſis, quæ facile praxi ipſa deprehendi poterunt; ſed accedimus nunc ad ſpecialia quinqve vitæ genera, quorum ſupra facta eſt mentio. Et quidem Theologus optume expediet rem ſuam, ſi diverſarum religionum cultores adeat, ut diſcat controverſias amice gerere, comparebunt enim adverſarii argumentis ſuis non deſtituti, ſuaqve non minus quam illorum præjudicia emendet, & arcana cognoſcat ſectarum. Modernas hypotheſes, quæ paſſim foventur in rebus religionis & exegeſi biblica explorare, Symbolicos diverſarum religionum libros, aut ſi qui his ſimiles, conquirere ſolenne ipſi ſit, negari enim non poteſt, dari adhuc in illis conquirendis defectum inſignem, licet unice ad ſolidam theologiam polemicam fundamentum ponant, ut exempli gratia Socinianorum, Arminianorum, Anabaptiſtarum ſectis oſtendere poſſumus. Sapientis eſt Theologi inprimis Oeconomiam Dei univerſalem in negotio religionis, Chriſtianismi migrationem, Eccleſiamqve vere Oecumenicam, hinc & inde diſperſam, obſervare, id quod eo clarius ipſi apparebit, lecto prius Tractatu de omnibus in orbe terrarum religionibus, quarum plurimæ brevibus tanguntur in Ritter-Plaß P. II. Poſt inquirat optimos quosqve hujus vel illius religionis in Thetica Polemica & morali Theologia autores, eosqve annotet. Nec relinquendæ ſunt liturgiæ peculiares religionum etiam in fundamento conſentientium, inprimis ſi aliqua occurrunt inſtituta utilia ac proficua circa juventutem inſtruendam in cultu divino, in quo maximum emendationis humanæ ſitum eſt momentum. Sic Scholæ Anglorum, in quibus pauperes educantur infantes, vel maxime dignæ ſunt obſervatione, de quibus inter alia prodiit: An Account of Charity Shools, ladely erected in England, Wales and Ireland, and of the methods, whereby they were ſed up, and are goberned. London 1706. Noviſſimæ etiam Anglorum Societates pro reformandis moribus conſiderationem merentur, quorſum pertinent; An Account of the Socie-

Regulæ ſpeciales Theologi peregrinantis.

Societies for reformation of manners in England and Ireland, & an Account of the reformation of manners in England and Ireland, and other parts of Europe and America.

§. XXXIX.

Juris Studioſo ſvaſores eſſemus, ut jura Provincialia inprimis ſtatuta colligere, ſpeciales legum modos & pœnarum obſervare, eamqve ob cauſam ipſis quandoqve judiciis intereſſe non omittat. Et quod palmarium eſt, methodum ſ. Proceſſum in cauſis dirimendis omni ratione exhauriat. Nec alienum erit a ſcopo ſuo, ut Juspublicum omium regnorum, hoc eſt, magiſtratus ſupremi cum ſubditis jura, eaqve, quæ membrorum ſtatus inter ſe ſunt, obſervet, cujus generalia exhibet Boehmerus in Jure Publico. Regulæ ſpeciales juris Studioſi peregrinantis.

§. XL.

Medicum præter Noſocomia ſupra jam commendata maxime anatomica juvat Cimelia frequentare diligentiſſime, iis enim multa alias obſcura atqve abſcondita perſpicue declarantur. Inſigne ſpecimen exhibet Frid. Ruyſchii, Anatom. & Botan: Profeſſoris Amſtelodamenſis, Theſaurus Anatomicus & omnis ejus ex tribus regnis naturalibus facta inſignis & nitidiſſima collectio. Obſervabit præterea peculiares in qualibet fere Provincia morbos. Septentrionales enim populos frequentiſſimus exercet ſcorbutus, purpura Svedorum populos. Ex occidente notiſſimus eſt ſudor Anglicus. In regnis orientalibus, Vngaria præſertim, multa ſcabritie affliguntur, & nigredine lingvæ ſeu oris inflammatione. Si plures utique magisque particulares morbi dantur, præ cæteris eos notare juvabit cum peculiaribus quoque mediorum generibus, ut & peculiaria plantarum genera non prætermittantur hinc & inde occurrentia. Huic fini varii deſtinati ſunt libri, vt Celeb. Scheuchzeri Itinera Alpina, & maxime Joh. Rayi Synopſis methodica ſtirpium Britannicarum, Lond. 8. 1690. nec non ejusdem Catalogus Regulæ ſpeciales Medici peregrinantis.

ſtirpium in exteris regionibus obſervatarum. Londini 8. 1673. & plures alii.

§. XLI.

Regulæ ſpeciales Philoſophi peregrinantis.

Philoſopho uti omnia naturalia & artificialia obſervanda ſunt, ipſi enim eſt ampliſſimus campus; ita in ſpecie novas; hypotheſes Philoſophicas cujuslibet religionis aut ſectæ notas ſibi reddere laborabit, ut cum Spinoziſtis, Naturaliſtisque, hodie paſſim ut quondam Averroiſtæ graſſantibus, arma conſerere queat. Decet ipſum oculo non peregrinante perſpicere, hypotheſes omnes Philoſophicas orbem quaſi ſuum habere, ut pro ratione temporis ac perſonarum modo acerrime defendantur, modo maximo cum fervore rejiciantur, uti genio hujus vel illius populi hæc aut illa eſt convenientior. Aſt longe altioris eſt indaginis, obſervare, quod corruptiones & emendationes omnium Facultatum ſuperiorum a corruptione vel emendatione philoſophiæ omnibus ſeculis pependerint, curque diverſæ religiones ad peculiares etiam philoſophandi ſectas inclinare conſueverint. Maxime tractandi Philoſophiam methodum hinc & inde diverſiſſimam obſervet, præſertim quam facillimam ac ordini naturæ convenientiſſimam invenire poteſt. Quippe non raro Philoſophus tantum ob novam philoſophandi methodum in patriam adductam præ omnibus inclaruit. Germani inprimis favent ab exteris allatis & methodis & hypotheſibus, & qui exterum quendam ſententiæ ſuæ Patronum citare poteſt, non raro apud plurimos eruditiſſimus habetur. Prudentiæ eſt pervidere, quomodo Philoſophia ſeſe immiſcuerit Theologicæ Facultati, vel potius quomodo nonnulli Theologi rejecerint hanc vel illam philoſophiam, arripuerint aliam, atque exin in ſyſtematica, exegetica & homiletica Theologia methodum inierint longe diverſiſſimam, quod in Coccejanis & Voetianis inter Belgas perſpicimus. Ex his ſimul perſecutiones Philoſophorum quorumdam luce clarius pateſcent meridiana.

§. XLII.

§. XLII.

Politicus quantum fieri poterit, vitabit, ne exercitia corporis extra patriam demum addiscere opus habeat, cum magno admodum constent pretio, nimium temporis spatium requirant, omniaque in patria inibi percepta dediscenda sint: rident enim exterorum Magistri nostros studio, ut ipsi soli nosse aliquid videantur. Satius est nosse eadem, ut tantum pro lubitu exerceri hinc & inde occasione emergente possint, qua tamen in re non parum peccarunt Germani, ideo vel maxime Galliam quondam adeuntes, eamque opibus cumulantes. Frequentet potius Politicus honesta Virorum fœminarumque politarum consortia (assemblées) quorum auxilio facili multitudini magnorum Virorum innotescet, ipsique copia fiet attendere mores apud aulicos & insigniores Rerumpublicarum receptos, de quibus superius paulo dictum. Inquirat omnes occasiones & media, quibus provincia & regnum alitur, augetur, floret, maximeque attendat, quænam commerciorum & operum manufactorum ipsorumque opificum ratio sit, quomodo commercia exotica cum commerciis Patriæ queant conciliari, & quantum natale solum ad inibi natorum conferat felicitatem. Hæc præsupponunt rerum politicarum notitiam, cui præter vulgaria systemata & illa quæ supra citavimus aliaque etiam scripta Politica Becheriana in præfatione der närrischen Weißheit und der weisen Narrheit recensita, it. Ritter-Platz P. III, in neu-eröffneten Manufacturen Hauß maxime conducunt. Politicus etiam historiam Rerumpublicarum perdiscere summo studio allaborabit, ut occasiones ædificandi & destruendi Rempublicam cognitas habeat, ut & varietates, quibus obnoxia fuit, præcipuas. Inprimis præsentem Reipublicæ statum intimius inspiciat, ministros, factiones, Legatorum ceremonias, religionem, Clerum, populi genium, cum exteris amicitiam & inimicitiam & quæ sunt reliqua. Exempla ejusmodi observationum suggerunt *Temple Remarques* des Provinces unies des Païsbas, Præfatio de l'Etat du Royaume de Dannemarck, Valckenieri

Regulæ specialesPoliticiperegrinantis.

verwir-

verwirrtes Europa P. I. omnesque Rerumpublicarum & hiſtoriarum ſcriptores arcanarum.

§. XLIII.

Regulæ ſpeciales militis peregrinantis.

Supereſt militaribus deſtinatus artibus de quo ſupra C. I. §. 17. quædam dicta ſunt, & hic adhuc nonnulla dicenda reſtant. Huic uti perquam plurima de milite extraneo & domeſtico, nec non perpetuo, qui variis rationibus erigitur & exercetur, de diſciplina & jure militari, de requiſitis boni militis & eorum delectu, de cuſtodiis (Gardes) variis, earumqve uſu & abuſu, de equitatu & peditatu, utriusqve præſtantia juxta varios populos, de equis variarum provinciarum, eorumqve uſu, de locis campeſtribus & montanis ac utrobiqve diverſa belligerandi ratione, de campis, pontibus, lineis, defenſionibus limitum, ſtationibus, de commeatu & annona, de architectura militari ac pyrotechnica, de deputatis provinciarum ad bellum, atqve de ſtratagematibus obſervanda & inquirenda occurrent: ita omnibus ſatisfacere vix ſatis poterit, niſi aliquantiſper militem agat voluntarium. Variæ equidem hiſtoriæ, in quibus bellorum circumſtantiæ accuratius ſiſtantur, non poſſunt non his Viris prodeſſe, uti de providentia Ducis maxime agit liber, ſub titulo: *Inſtruction de Don Juan d' Auſtria.* De prudentia bellica *Hieron. Imhofii Diſſertationes Politico-militares conſcriptæ* ſunt, & recentiora habet Dom. *de la Valiere in Practique & maximes de la guerre.* Memoires de Montecuculi, ou Principes de l'art Militaire en general; Præſtat de equitatu conferre *le Sieur le Birac* in libr. *Les fonctions du Capitaine de Cavallerie*, & de peditatu Dom. *de la Mont in libro: Les fonctions de tous les offices de l'Infanterie*, quibus tamen addere Ritter-Platz P. I. & II. non inutilis erit laboris.

CAP. III.

CAP. III.

De Regulis peregrinationem adplicandi.

§. I.

EXantlatis favente Numine itineribus, felix ſoſpesqve patriæ redditus adplicet ſe absqve mora rebus & negotiis civilibus, vitæ ſtudiorumqve ſuorum genus tangentibus. Non diſvadendum equidem ſpatium breve temporis repetitioni in itinere actorum & viſitationi Patronorum amicorumqve tribuere, ſed caveat, ne illud augeatur, & animus munus publicum ingrediendi ſenſim ſenſimque minuatur. Enimvero qui animum habet patriæ ſuæ digna officia præſtitare, omni ſane ratione laborabit præfici muneri quam primum commode fieri poteſt, ne amplius vagando tempus perdat reliquum, cum tamen continuis adſveti itineribus vix adſtrictam in officiis vivendi rationem & laboriosam quietem & ne vix quidem amare ſoleant. Redux laboret ſe adplicare negotiis & præfici muneri.

§. II.

Si qua datur mora, antequam officio admoveatur, datur autem ſæpiſſime, ut ſcripto toti innoteſcat Reipublicæ, cui quondam compariturus eſt. Evulget typis ſingularia itineris ſui feliciter utiliterque confecti per modum memoriarum (memoires) literis conſignata, aut redigat obſervata ſua & in diariis Collecta in Collectanea, ut repetitione aſſidua ruminari & ſi fieri poteſt, ad ſtatum futurum adplicari queant. Singularia itineris literis conſignanda.

§. III.

Utendum arcanis ad statum suum stabiliendum.

Ut vero fructum peregrinationum suarum evidentiorem sentiat, aliisque pernoscendum faciat, utatur acquisitis arcanis studiorum ad omne genus vitæ suæ eo melius & securius stabiliendum, haud mutata tamen statim patriæ ratione ac consvetudine, ne novaturientis nomen incurrat odiosum, quod revertentibus longis maxime & diuturnis itineribus adhærere consvevit.

§. IV.

Salutet præcæteris notos & familiares sibi factos extra patriam.

Post salutatos in patria Patronos, Fautores omnesque cognatione sibi conjunctos, eos redux inprimis adeat, quos extra patriam ex suis conterraneis notos sibi aut familiares reddidit, eorumque amicitiam firmare nullam rationem omittat.

§. V.

Cum quibus exterorum commercium literarum inchoandum.

Et his tandem quoque adparet, convenire meditanti fructum peregrinationis suæ continuandum, ut cum optimis quibuscunque apud exteros, quorum amicitia ac patrocinio non injucunda gloriari potest memoria, commercium literarum inchoet & continuet, consilio etiam Ill Fr. Baconis de Verulamio *gg*) inprimis cum Viris ad vitæ genus suum facientibus, & doctrinæ adjumenta ad scientiam suam adferentibus, horum enim autoritate & auxilio muneris sui partibus satisfacturus, easque non parum amplificaturus est. Hisce paucis itaque, quæ delibavimus, observatis speramus futurum, ut neque illum qui hac ratione iter adgressus est suum, neque illum qui itineris ad exteros faciendi potestatem concessit, propositi consilique pœniteat.

gg) in Serm. fid. num. XVIII. Opp. p. 1168.

PER-

PERORATIO.

§. I.

HÆc itaque sunt, quæ L. B. animo pensitata placidæ tradere disquisitioni nulli dubitavimus. Sunt quidem, quod inficias ire non possumus, ante peregrinationem aliquam susceptam, concepta, eum etiam in finem, ut augeri peregrinando queant, ut in Academia meditata, si fors tulerit, in itineribus perpoliantur. Non absoluta igitur judicari posse subintes ipsi fatemur, nec exemplis satis illustrata, sponte in itinere hinc & inde obvenientibus. Differentium scopus.

§. II.

Tot enim influunt in hanc materiam materiæ, ut omnes ex hauriri vix queant, ipsa etiam institutionis ratione exigente, ut interdum verbo tantum aliquid indicaverimus, cum limites disputationis egredi non licuerit in materia, ex qua magnus facile fieri tractatus poterit. Quare etiam in adlegandis Scriptoribus admodum paucitati studuimus, appellando libros non nisi orbi literato probatos & ubique obvios. Libros interim quandoque magis necessarios afferri potuisse, alios etiam de iisdem rebus extantes vulgoque notos deprehendi, me forsan in præsentia latentes, non negaverim. Materiarum in Dissertatione amplitudo.

§. III.

Posse etiam sic multa specialia de diversitate peregrinandi apud diversos populos dici, quæ materiam sat amplam darent, cum hactenus dicta ad Europæos maxime populos, qui vulgo apud nos peregrinando adire consveverunt, intelligenda veniant. Sed cum hæc prolixa sint experientiamq; propriam requirant, vela contrahenda & rogandus L. B. contentus hoc sit plagularum Specialissimæ peregrinationum longinquarum regulæ non attenduntur.

FINE.

COROLLARIA.

I. Peregrinaturi aptitudo non tam ex ætate, quam ex morum habitu eſt æſtimanda,

II. Peregrinatio juvenibus magis quam ſenibus eſt ſvadenda.

III. Præſtat certum peregrinationis tempus conſtitutum habere, quam eidem pro lubitu imorari.

IV. Fœminæ regulariter a peregrinatione excluduntur.